



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio sexta. Vtrum episcopatus sit ordo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

dite vobis & vniuerso gregi in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos, & loquebatur illis de sola ciuitate Ephesina. Expressius autē hoc patet ad Titum. i. vbi dicitur sic: Huius rei gratia reliqui te Creta, vt ea que defunt corrigas & constituas presbyteros per ciuitates, sicut ego tibi disposui, si quis sine crimine est, vnus vxoris vir. & statim subdit: oportet enim Episcopum sine crimine esse.

Ecce que prius dixit presbyterum nunc vocat Episcopum Et. ad Tim. 4. dicit: Noli negligere gratia qua in te est que data est tibi per impositionem manuum presbyteri, id est Episcopi, & vocat se Paulus presbyterum cum esset Episcopus qui eum ordinauerat, & in eadem epistola. 3. cap. loquens de ordinatione Episcopi & Diaconi, de Presbyteris reticet, eosdem intelligens presbyteros quos episcopos in his que ad ordinationem pertinent.

8 Item videtur posse probari per rationē: quia nulla potestas ordinis vel consecrationis fuit in Apollolis, in quorum locum successerunt Episcopi nisi a Christo, sed Christus non ordinauit eos nisi ordinatione sacerdotali, vt probatur, ergo nec Apostoli prius, nec Episcopi modo habent potestatem ordinis, nisi sacerdotalē. Probatio minoris, Christus enim solum videtur ordinasse Apostolos in cena quando tradens eis corpus & sanguinem suū dixit hoc facite in meam cōmemorationem. Et iterum post resurrectionē quando dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, &c. vtraque enim ordinatio est simplicis sacerdotis, quare &c. Sic ergo dicit Hieronymus q Episcopus & Presbyter olim fuerunt nomina synonyma & etiā administrationis, quia cōmuni consilio sacerdotū regebantur ecclesie, sed in remedium schismatis ne vnusquisque, ad se trahens ecclesiam, rumpere eam, ordinatū est, vt vnus presbyter, & quoad nomen, vt ille solus episcopus diceretur, & quoad administrationem aliorum sacramentorū & sacramentalium, & sibi referuerentur de consuetudine & institutione ecclesie. Et hoc expresse vult Hieronymus. 55. dist. cap. legimus in Esa. & super epistolā ad Titum, & recitatur. 50. dist. cap. olim presbyter, &c.

Conuetudo autē & institutio ecclesie potest dare iurisdictionem, sed non potestatem ordinis, aut consecrationis, quare &c. Qui ergo reputat hoc erroneum vel periculosum imputet hoc Hieronymo ex cuius dictis in præallegato cap. legimus in Esa. sumptæ sunt auctoritates prædictæ, vbi etiā ponit exemplum q sic est de episcopo respectu presbyterorū, sicut esset de archidiacono respectu diaconorum, si diaconi eligerent vnum ex seipsis quē archidiaconi vocarent. & in cap. olim. di. 97. dicit sic de verbo ad verbum. Olim idem erat presbyter qui & episcopus, & anteq̄ diaboli insinuat studia vel schismata in regione fierent, & diceretur in populis ego sum Pauli, ego Apollō, ego sum Cephe, cōmuni presbyterorū consilio ecclesie gubernabantur, postquā autem vnusquisque eos quos baptizauerat suos esse putabat & non Christi, in toto orbe decretū est, vt vnus de presbyteris superponeretur & schismatum semina tollerentur (vt paulo post) sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesie cōsuetudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ita episcopi nouerint se magis consuetudine quam dispensationis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in communi ecclesia debere regere.

9 Alij dicunt q potestas ordinis vel consecrationis est maior in episcopo q̄ in simplici sacerdote nō solum ex ordinatione ecclesie, sed ex natura ordinis & consecrationis secundum diuinam institutionem. Cuius ratio est, quia ea que sunt in noua lege figurata sunt per ea que fuerunt in veteri: modo ita est quod in veteri lege episcopus seu summus sacerdos ex diuina ordinatione consecratur speciali consecratione, & ad specialem actum vltra simplices sacerdotes: nam vt habetur Leui. 3. caput solius summi sacerdotis qui habebat altos in suis officiis ordinare, & cui soli erat licitū in sancta sanctorū ingredi vngebatur oleo sacre vnctionis, ergo similiter videtur, q̄ ex diuina ordinatione sit, vt caput episcopi qui est summus sacerdos consecratur vnctione christi smatis ad specialem actum qui ei soli competit, sicut est ministros ordinare, & huiusmodi que solis episcopis conueniunt. Et hæc opinio est communior & securior, quia magis est cōcōs doctriinæ ecclesie que est maxime auctoritatis in his que

pertinent ad articulos fidei & ad ecclesiastica sacramenta. 10 Nec obstant auctoritates adductæ per Hiero. quia secundum nomē & rei veritatē omnis episcopus est presbyter & eōuerso quantum ad nomen: omnis enim presbyter curam habens potest dici episcopus quasi aliis superintendens, quauis amplior sit consecratio episcopi seu summi sacerdotis q̄ simplicis presbyteri, sed forte in primitiua ecclesia non faciebant tantam vim in differētia nominum, sicut modō, propter quod omnem habent curam vocabant episcopum.

11 Dicunt etiam aliqui q̄ tunc omnibus qui præferantur plebibus, cōferebatur vtraque potestas, vt plebes in prōptu haberent principem ecclesiasticum, qui posset omnia sacramenta ministrare, & ministros instruere, sed hoc non est verum: quia etiam temporibus Apostolorū fuit secundum re distinctio inter episcopos & presbyteros, vt patet per Dion. 5. cap. ecclesiasticæ Hier. Magis autē mirandum est q̄ Hieron. per verba sua que ponit in fine illius cap. olim. videtur æquare presbyteros episcopis non solum quoad consecrationē, sed etiā quantum ad regimen ecclesie quod pertinet ad potestatem iurisdictionis, cum illa potestas super totam ecclesiam data fuerit soli Petro, & ab eo deriuata in alios, vt dictum fuit in 1. artic. vnde Aug. in lib. de Hæresibus dicit, q̄ Arrius dicebat presbyterum ab episcopo nulla differētia debere discerni, quod ipse reputat hæreticum. Ratio etiam adducta ad confirmationem illius opinionis nō valet. Primo quia Christus multa fecit que non sunt scripta in euangelis, & ideo nō est bona consequentia, Christus nō legitur hoc fecisse, ergo non fecit. Secundo, quia Christus habuit potestatem excellentiā & potuit dare & etiam dedit effectū sacramenti sine sacramento, vnde in cena quando tradidit discipulis corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini, & dixit: hoc facite in meam cōmemorationem, si per hæc verba dedit eis potestatem sacerdotalem hoc nō fuit mediante sacramento sacerdotalis ordinationis, quia sacerdotibus in ordinatione sua sacramentali traditur in vasis materia nō consecrata, Christus autē tradidit materiam cōsecratā & ad vsum tantū dicens, accipite & comedite &c. & nō ad consecrandū. Verba etiā que dicuntur in cōsecratione sacerdotali sunt alia a supradictis verbis Christi, vnde si tunc dedit eis potestatem sacerdotalem, hoc non fuit mediante sacramento ordinationis sacerdotalis, sed per modū potestatis excellentiæ: & simili modo tunc vel aliā dedit eis potestatem episcopalem per modū excellentiæ, quauis in euangelis non legatur.

12 Ad primā arg. dicendū est q̄ nullus actus non includens actum consecrandi est maior eo, sed consecrare & ordines facere est maius quam alterum solum. Cum igitur potestas episcopalis hæc duo includat necessario (vt in sequenti quæst. apparebit) manifestum est quod ipsa est maior potestate sacerdotali quæ includit solum alterum.

13 Ad secundum dicendum q̄ sicut sacerdos celebrando repræsentat Christum vt seipsum obtulit, ita episcopus celebrando & ordines faciendo repræsentat eundem vt seipsum obtulit, & vt ecclesiam fundauit, & ministros instituit: quod est maius quam primum, & sic perfectius repræsentatur Christus per episcopum quam per sacerdotem, igitur &c.

QVÆSTIO SEXTA.
Vtrum episcopatus sit ordo.

Secundo quæritur de episcopatu, vtrum sit ordo. Et videtur q̄ nō, quia vnus ordo nō depēdet ex alio quantum ad necessitatem, vt dictum est prius, sed episcopatus dependet a sacerdotio de necessitate: nullus enim potest ordinari in episcopum nisi prius fuerit sacerdos, ergo episcopatus non est ordo.

- 1. Itē maiores ordines nō conferuntur nisi in sabbatis, sed episcopatus cōfertur in dominicis, ergo nō est ordo.
- 2. Item cōmuniter nō ponuntur nisi septem ordines, sed si episcopatus esset ordo tunc essent octo, quare &c.
- 3. IN CONTRARIUM est Dion. qui tractans de ordinibus specialiter nominat tres: scilicet episcopatum, sacerdotium, & diaconatum.

Vide eundē in epist. ad Basil. Narb. epist. de vita cōsuetudine episcoporum, &c. & recitatur d. 14. cap. Ecce ego.

q. 3. h. 4. dist. 1.